

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive
scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Frankofurti, 1625

Thema XIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130978)

præsertim defunctis iam filiis, &c. Non omnes ita sunt affectæ. Nostrates dicunt: Wann das Kind todt ist/so ist die Schwatterschafft auß. Et nonnullæ ægre ferunt, si nurus alius nubant maritis. Multæ suas nurus, etiam viuentibus filiis, cane peius & angue oderunt: vt proverbium inde natum sit, de quo supra. Male hoc fit. Præsertim si illæ fecerunt misericordiam cum maritis, viuis vel mortuis. Debent haberi pro filiabus, & socrus illæ præsertim viduis esse loco marum. Et abominatur Dominus illam *à seculo*, quæ communis est nostro seculo, iuxta id Pauli 2. Tim. 3. v. 3.

III. Pars.

Sed quid nurus? Illæ sane non minorem charitatis affectum demonstrant erga socrum. Et Arpah quidem tandem persuaderi sibi patitur, vt reuertatur domum in patriam, nec sine effusis lachrymis discedit à socru sua.

Ruth vero adhæsit socru: non vult reuerti domum. Vult cum socru viuere & mori, & non nisi per mortem ab illa separari. Retenta autem est absque dubio singulari arcano Dei consilio, vt fieret proauia Christi.

Loc vs. Quod supra diximus de socru: id etiam hic referatur ad nurus. Illæ non tantum suas socrus tanquam matres debent diligere: sed etiam in coniugio erga maritos tales esse, quales hæc commendantur à socru: & defunctis maritis etiam benefacere matribus eorum, si possunt. Hæc quomodo Deo placeant, patet ex hoc loco, vbi Spiritus sanctus tam copiose de his rebus differit, vt ostendat Deum hæc accurate obseruare, & remunerari etiam in hac & altera vita, sicut docet exemplum Ruth: cuius laus durat in Ecclesia omni tempore, &c.

F I N I S.

THEMA XIX.

1. Sam. 2. v. 6.

Mortificat & viuificat Dominus, deducit ad inferos & reducit.

DISPO

DISPOSITIO.

Inter præcipuas mulieres Veteris Testamenti numeratur Hanna coniux Elkana, mater magni illius Samuelis Prophetæ & iudicis in Israel. Illa cum propter sterilitatem hæcenus videretur neglecta, multis precibus contēdit à Deo, vt faciat ipsam pregnantem, addito voto solenni, &c. Cumque Deus annuisset precibus illius, & filium dedisset Samuelem, illa non filium tantum Deo consecrauit, sed & carmen hoc Eucharisticum composuit, ex quo verba prælecta desumimus. Quia enim illud carmen Hannæ dignum fuit iudicatum à spiritu sancto, quod ceteris sacris libris adiungeretur, & ad perpetuam memoriam extaret, non immerito à nobis etiam debet magnificari.

Dum autem Hannâ in Cantico suo nobis Dei bonitatem commendat, mirabilia interim narrat, quod Deus non mortificet tantem, sed & ad infernum deducat: viuificet tamen etiam, & reducat ex inferis.

Quod cum rationi humanæ absurdum, multisque ad crucem imparatis graue videatur, accuratius erit expendendum. Primum itaque has scripturæ phrasés explicabimus: Deinde ad vsum nostrum accommodabimus.

I. Pars.

1. Deus mortificat, ait Hanna, Hoc mirum videri possit, cum Deus mortem non fecerit Sap. 1. vers. 13. & 2. v. & amator vitæ dicatur Sap. 1. v. 26. in fine.

At non sic mortificat, vt perimat, sed vt rursus viuificet. Morti non tradidit me. Psal. 118. v. 18.

Tribus modis mortificare dicitur in scriptura potissimum. Vide de his copiose supra in hac Classe, in Dispositione Thematæ XIV. vbi eadem verba ex Deut. 32. sunt explicata.

Sic vicissim tribus etiam modis viuificat, &c. Vide ibid.

Neque vero quantum ad pios attinet, vllò modo ipsos mortificat, nisi hoc sine, vt viuificandi habeat occasionem.

1. Mort

1. Mori sinit corporaliter suos electos, vt possit ipsos in terra facere incorruptibiles, & resuscitare nunquam amplius morituros. 1. Cor. 15. v. 42.

2. Lege tetret & occidit, vt suauissima Euangelii prædicatione possit exhilarare. Ideoque vulnerat vt sanare possit; cum sani medico non habeant opus. Matt. 9. v. 12.

3. Mortificat cruce & calamitatibus, vt maiori gloria onerare possit conformes factos imaginii filii sui. Rom. 8. v. 19. Etenim non conuiuemus, si non commoriamur. 2. Tim. 2. v. 11. Compatimur, vt ad gloriam eandem perueniamus. Rom. 8. v. 17. 2. Cor. 4. v. 17.

Corripit ne cum mundo pereamus. 1. Cor. 11. v. 32.

Hoc est illud mortificare & viuificare Dei.

II. Equid vero hoc est, quod ad inferos deducere & reducere dicitur Dominus.

Hoc loco notandum, quod infernus in scriptura pro tristissimis calamitatibus, angustiiis & grauissimis tentationibus accipitur: quibus homo tanquam inferni cruciatibus & terroribus, torquetur. Hoc Dauidi non est infrequens.

Psal. 18. v. 6. Dolores inferni circumdederunt me, Psal. 98. v. 4. Anima mea prope est inferno.

Idem est quod dicit, se de profundis clamare. Psal. 130. Psal. 115. Angustiæ inferni inuenerunt me.

Hinc colligemus, quid sic deducere ad inferos, scilicet grauissimis angustiiis, terroribus & tentationibus premere, non vt inferno, hoc est, in illis tormentis pereat homo sed vt reducatur.

Reduci enim ex inferno, est liberari ex illis angustiiis, Sicut Dauid hoc nomine Deo agit gratias. Psal. 86. v. 13. Et Psal. 30. v. 4. Eduxisti animam meam ex inferno. Pf. 49. v. 16. &c.

II. Pars.

Vsus huius loci multiplex esse potest, Pauca attingemus.

D

I, Ob

I. Obseruare debemus magna diligentia, hunc Dei antiquum morem, quod quem ille vult viuificare, prius mortificat, & quem in cœlum vult euehere, eum prius ad ima tartara detrudit.

Sicut quem vult exaltare humiliat: vt patet exemplo Davidis, Iosephi, &c.

Idq; facit partim propter se, partim vero propter nos. Propter se quidem 1. vt agnoscatur consilium ipsius esse mirabile Esa. 28. vers. 29. & cogitationes ipsius longe diuersas à nostris. Esa. 55. v. 9.

Homines plane contrario modo agunt. Suos primum extollunt, postea mox deturbant de loco suo.

Primum in cœlos attollunt, post ad orcum detrudunt.

3. Vt innorescat ipsius omnipotentia, bonitas, & celebretur nomen ipsius ab omnibus, qui tam gloriose liberantur.

Propter nos autem hoc facit 1. vt probet suos electos tanquam pro ignem. Zach. 13. v. 9. Esa. 48. v. 10. Syr. 2. v. 5. 1. Pet. 1. v. 7.

2. Vt maiori gloria onerare possit. 2. Cor. 4. v. 17.

3. Vt magnitudinem diuinorum beneficiorum rectius agnoscamus. Dulcia nō enim meminit, qui nō gustauit amara. Lætitia maior est, si prius fuimus humiliati.

Nemo itaque pius desperet, licet videatur ad ima tartara detrusus, sed sciat in propinquo esse liberationem. *Er hab müssen zuvord auch einen Duck in die Höll thun/ vt nostrates dicunt.*

II. Non murmuremus, si Dominus in hac vita nos deducat ad inferos, Quia hos vult reducere.

At qui post hanc vitam ad inferos detruduntur illi nullam possunt sperare liberationem, Pf. 49. vers. 9. Luc. 16. v. 26.

Oremus itaque, Domine hic vire, hic seca. Parce autem ibi. Deduc ad inferos, sed reduc etiam nos.

F I N I S.

THE.